

T3

Egloga IV

L'età dell'oro

Metro:
esametro

- 1 Sicelides Musae, paulo maiora canamus!
 Non omnis arbusta iuvant humilesque myricae;
 si canimus silvas, silvae sint consule dignae.
 Ultima Cumaei venit iam carminis aetas;
- 5 magnus ab integro saeclorum nascitur ordo.
 Iam redit et Virgo, redeunt Saturnia regna;
 iam nova progenies caelo demittitur alto.
 Tu modo nascenti puer, quo ferrea primum
 desinet ac toto surget gens aurea mundo,
- 10 casta fave Lucina: tuus iam regnat Apollo.
 Teque adeo decus hoc aevi, te consule, inibit,
 Pollio, et incipient magni procedere menses;
 te duce, si qua manent sceleris vestigia nostri,
 inrita perpetua solvent formidine terras.
- 15 Ille deum vitam accipiet divisque videbit
 permixtos heroas et ipse videbitur illis
 pacatumque reget patriis virtutibus orbem.
 At tibi prima, puer, nullo munuscula cultu
 errantis hederas passim cum baccare tellus
- 20 mixtaque ridenti colocasia fundet acantho.
 Ipsae lacte domum referent distenta capellae
 ubera nec magnos metuent armenta leones;
 ipsa tibi blandos fundent cunabula flores.
 Occidet et serpens et fallax herba veneni
- 25 occidet; Assyrium vulgo nascetur amomum.
 At simul heroum laudes et facta parentis
 iam legere et quae sit poteris cognoscere virtus,
 molli paulatim flavescit campus arista
 incultisque rubens pendebit sentibus uva
- 30 et durae quercus sudabunt roscida mella.
 Pauca tamen suberunt priscae vestigia fraudis,
 quae temptare Thetim ratibus, quae cingere muris
 oppida, quae iubeant telluri infindere sulcos.
 Alter erit tum Tiphys et altera quae vehat Argo
- 35 delectos heroas; erunt etiam altera bella
 atque iterum ad Troiam magnus mittetur Achilles.
 Hinc, ubi iam firmata virum te fecerit aetas,
 cedet et ipse mari vector nec nautica pinus
 mutabit merces: omnis feret omnia tellus.
- 40 Non rastros patietur humus, non vinea falcem;
 robustus quoque iam tauris iuga solvet arator;
 nec varios discet mentiri lana colores,
 ipse sed in pratis aries iam suave rubenti

murice, iam croceo mutabit vellera luto,
 45 sponte sua sandyx pascentis vestiet agnos.
 “Talia saecla” suis dixerunt “currite” fusis
 concordes stabili fatorum numine Parcae.
 Adgredere o magnos – aderit iam tempus – honores,
 cara deum suboles, magnum Iovis incrementum!
 50 Aspice convexo nutantem pondere mundum,
 terrasque tractusque maris caelumque profundum,
 aspice, venturo laetantur ut omnia saeclo!
 O mihi tum longae maneat pars ultima vitae,
 spiritus et quantum sat erit tua dicere facta:
 55 non me carminibus vincat nec Thracius Orpheus
 nec Linus, huic mater quamvis atque huic pater adsit,
 Orphei Calliopea, Lino formosus Apollo.
 Pan etiam, Arcadia mecum si iudice certet,
 Pan etiam Arcadia dicat se iudice victum.
 60 Incipe, parve puer, risu cognoscere matrem:
 matri longa decem tulerunt fastidia menses.
 Incipe, parve puer: qui non risere parenti,
 nec deus hunc mensa, dea nec dignata cubili est.